



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

24. Adalbertus, sive Adalbero II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

ADALBERTVS,

Anno
Christi
1002.

SIVE

ADALBERO II.

Basileensis Episcopus.

XXIV.

GENUS & stemma Natalium Adalberti, ut & priorum Antistiti-
tum, haud satis exploratum habetur. Putem ego, quod nobiles & illustres, Ecclesiastici præsertim viri, modestiâ tunc insigni, gentilitia nomina subtricerent. Constat saltem, fuisse percharum Burgundiæ Regibus Adalbertum, & longè magis, Henrico Imperatori, qui anno 1002. in locum Othonis Tertij, ex Duce Bavariæ ad Imperium evectus, cum S. Kunegunde illibatū puritatis florē tumulto intulit, æternū immarcessibilem: ita ut solus ab universa Ecclesia, inter omnes Imperatores, fan-
ctis

Anno
Christi
1004.

ctis adnumeretur; solus Virginitatem, rarum decus cum matrimonio copularit. Anno 1004. liberalitatem suam effundere cœpit S. Henricus in Adalberonem, juris ipsius faciens sylvas Alsatia, in Vtonis Comitatu, à Pyrsa flumine, inter Illum & Rhenum ad sex milliaria protensas. Eâ conditione, ut venatio soli Episcopo permetteretur. Anno 1008. eidem Adalberto donavit sylvas in Brisgoia à vico Toginga, usq; Gandelringam & Betzingam. Stumpf. lib. 12. c. 18. addit Zvvingensem, Pfefringensem & Lanserensem tractum. Ita Guillimannus de reb. Habspurg. lib. 4. c. 3. Sed nec intra hos limites constitit Henrici Imperatoris munificentia. Cathedralem insuper ædem Basileensem, Hungarorum vastatione labefactatam diruit, ut novam, passus aliquot à Rheno remotam erigeret.

Hanc

Hanc anno 1019. 11. Octob. Adalbero solenni ritu consecravit, honorique dicavit Christi Resurgentis, S. Crucis, Deiparæ Virginis Mariæ, S. Ioan. Baptistæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, Andrea, Thomæ, omnium denique Apostolorum, ac Sanctorum. Festivæ inaugurationi assistere, præter Henricum Imperatorem, Popo Trevirensis Archiepiscopus, Vernerus Argentinensis (Richardum & Ruthardum nominat Chronicon Constantiense) Rudolphus Constantiensis, Hugo Genevensis, Hugo Laufannensis, Hericus Episcopus & Imperialis Camere Custos, cum aliis Principibus viris.

Anno
Christi
1019.

Post peractos consecrati templi solemnes ritus, pro concione dixit Adalbero, de reverentia sacris rebus exhibenda; Ecclesiastico decimarum jure; de gratuita peccatorum relaxatione, quam ipse ad diei celebritatem

Anno
Christi
1019.

britatem indulgeret, aliâque plura
copiosè differens. Nec minùs li-
berales se exhibuerunt, qui coràm
intererant, septem alij Episcopi, spi-
rituales thesauros impertiti, eorum
bono, qui sua præsentia & pio cultu
lætitiâ publicam auferent. In
principe porrò templi arâ placuit
includere decenter, & ad veneratio-
nem proponere sacra lipsana, do-
num itidem Henrici Imperatoris.
Erant illa de sanguine Christi prodi-
gioso: de ligno sanctæ Crucis: de
sepulchro Christi: de vestibus B.V.
Additi præter hæc, cineres, aliæve si-
miles reliquiæ sacræ SS. Petri & Pau-
li, Andreæ, Ioannis Baptistæ, Tho-
mæ, Mauritij, Clementis Papæ, S.
Sebastiani, Cyriaci, Bonifacij, Mein-
radi, Cosmæ & Damiani, Sylvestri,
Vvilibaldi, Felicitatis, Iulianæ, He-
lenæ, Cecilïæ, Agathæ, & Gertrudis,
cum aliis multis. Et ne quid ad or-
namentum

namentū deesset, in interiori templi parte; dando Dei causa inexhaustus & infatigabilis erat Henricus. Inter alia namque magni pretij, è privato suo sacello ad hanc Basilicam protulit tabulam è ligno scitè elaboratam, laminis obductam aureis, & quæ septem aureorum millia facile æquaret. Cernuntur in ea expresse sanctorum effigies, quos singulari pietatis teneritudine colebat: quatuor nempe Archangelorum, Gabrielis, Michaëlis, Raphaëlis, Urielis, & S. Benedicti. Medium tenebat Christi pendentis in cruce simulachrum, ad quod utrimque, corpore ad modestiam composito ingeniculati flectebant Coniuges, Henricus & Kunegundis. Hæc tabula, è naufragio religionis, illæsa mansit, Basileæ; ubi etiamnum asservari cum aliis templi ornatibus, dicitur. Coronam insuper argenteam è cho-

Anno
Christi
2019,

ri

Anno
Christi
1019.

ri pariete suspendi iussit, perpetuum
anathema, & certum Henrici, se
Imperiūque Deo devoentis
symbolum. Æs denique companū
quod ipsiusmet S. Henrici nomen re-
ferret; sellam auro multo, argento
& ebore illusam, paludamentū-
que, seu togam quandam Impera-
toriam. Enituit par religiosissimi
Imperatoris liberalitas in Ratisbo-
nensem Ecclesiam, Passaviensem,
Frisingensem, Mersenburgensem,
Salisburgensem & Bambergensem:
Quam postremam à fundamentis
ipsis excitavit, ubi etiam anno 1024.
cum Coniuge suâ terræ mandatus
est.

Sed ut ad Adalberonem no-
strum redeamus; subscripsit ille
privilegio, quod Henricus, post in-
augurationem Augustalem Roma-
næ Ecclesiæ concessit anno 1014. de
quo Bar. tom. 2. Sub idem tempus,
Eze-

Ezelinus, Ecclesiæ Cathedralis Basileensis Præpositus, Parochiale templum extruxit, nomini SS. Bartholomæi & Leonardi dicatum 1033. 2. Novembris. Fundum anno 1002. petenti donârat Adalbero, civibus consentientibus.

ANNO
Christi
1019

Henrico vitâ functo subrogatur in imperatoria dignitate Conradus ob egregias dotes, ipsiusmet Henrici votis dum viveret, ad eam capefendam designatus. Conrado data coniux Gisela Conradi Burgundiæ Regis filia, primò matrimonio nupta Ernesto Sueviæ Duci. Novus inde hic Imperator constituit Episcopum Adalberonem, Protectorem & advocatum nascentis Abbatia S. Blasij in Hercynia, datis Ultimâ litteris 14. Maij anno 1025. Imperij sui 1. Quo jure usi sunt Episcopi annis centum, donec tandem propter quorundam Præfectorum,

1025

K

impe

Anno
Christi
1025.

imperiosam nimis & iniquam do-
minandi libidinem, post aliquot di-
sceptationes, ex pacto, se eo jure ab-
dicarunt. Non multò post, è vita
cessit Adalbero, ac in posteriore Ba-
sileensis Ecclesiæ cryptâ conditus.

Ætatem hanc illustravit Her-
mannus cognomento non vano
Contractus, utpote ab incunte æta-
te membris contractus. Patre VVol-
ferado Comite Vœringensi natus,
institutum S. Benedicti professus in
Augiæ divitis Cœnobio, sub Berno-
ne Abbate, ut ipsemet in suo Chro-
nico testatur apud Henricum Cani-
sium. Antiq. lect. Scientiarum am-
plitudinem facili operâ complexus
est, Deipara Virgine divinæ sapien-
tiæ Pallade, aspectabili specie hanc
pio Clienti suo aptitudinem imper-
titâ. Græcè, Latinè & Arabicè non
vulgariter doctus, Orator, & Poëta,
Astronomus, Musicus, Chronogra-
phus

phus, Philosophus, Theologus; Anno
verbo, scientiarum omnium in uno Christo
Contracto videre erat Compendi- 1025
um. Ita Chronic. Constantiense
pag. 97. Trithem. in Hirsaugiensi
Monasterio, alij contestantur. At-
que huius Hermanni pium secuta
studium Ecclesia toties congeminat
ad Dei matrem, celebres illas, ut vo-
camus, Antiphonas, *Salve Regina,*
& *Alma Redemptoris*, teste eodem
Chronico Constantiensi Berchtoldi,
Trithemio, Benzonio in Magnifi-
cat, Gavanta in Rubric. Breviar. de
Antiphon. B. Virg. Obiit tandem
Hermannus multis clarus
scriptis, anno Domi-
ni 1054.



K 2

UDAL